

tem, *Jesum una sabathi mane surrexisse*, inquit:
 „ (r) hujus quæstionis duplex est solutio: aut enim
 „ non recipimus Marci testimonium, quod in raris
 „ fertur evangelii, omnibus græcis libris penè hoc
 „ capitulum in fine non habentibus, præsertim, cum
 „ diversa, atque contraria Evangelistis cæteris narrare
 „ videatur”. Ratio autem, cur Patribus suspectum
 „ fuerit capitulum illud, ab eodem Hieronymo assi-
 „ gnatur, ob quasdam, scilicet, apocryphas periodos
 „ à Manichæis inibi insertas: (f) ” in quibusdam,
 „ inquit, exemplaribus, & maximè in græcis codici-
 „ bus, juxtà Marcum, in fine ejus Evangelii scribi-
 „ tur: postea cum accubuissent undecim, apparuit Je-
 „ sus, & exprobavit incredulitatem, & duritiam cor-
 „ dis eorum, quia his qui viderant eum resurgen-
 „ tem, non crediderunt; & illi satisfaciebant, dicen-
 „ tes: Sæculum istud iniquitatis, & incredulitatis
 „ substantia est, quæ non finit per immundos
 „ spiritus veram Dei apprehendi virtutem
 „ quod quidem additamentum, quia Manichæo-
 „ rum dogma redoleat, ab omnibus tam græcis,
 „ quam latinis exemplaribus meritò resectum, ac
 „ rejectum est.” Sicut ergo verbis illis, manichæis-
 „ mum redolentibus, ex punctis, caput illud, post-
 „ quam dilapsa ferè quinque fuerunt sæcula, in can-
 „ onem redactum est, nec tam fera receptio ali-
 „ quid ejus auctoritati detraxit; ità & de canoni-
 „ bus

1 Hier. q. 3. ad Hedibium. f Hier. dial. 2. ad ver. Pelag.